

tulatio. Hoc enim exigit jus gratitudinis, ut agnoscamus nos beneficium gratis a benefactore accepisse eique acceptum feramus; deinde, ut id laudemus et magni aestimemus; denique, ut ipsi vicissim bona impreceur, vel si ea jam possidet, ob possessu ei gratulemur. Præstitit hoc Raphaeli Tobias, cum ei se obligatum cum omni sua substantia et vita professus est, eo quod per ipsum omnia possideret: deinde, cum præ stupore et admiratione cecidit in faciem suam, et rursus cum prostratus in terra jacens una cum parentibus benedixit Deum, Tob. XII. jam cum Christi in nos beneficia infinita sint, infinitam quoque ei debemus gratiarum actionem; quam cum reddere nequeamus, infinite absumus ab hujus debiti compensatione. Ut tamen ex parte nostra præstemus quantum possumus, animos nostros ad divinas laudes crebro excitemus, dicendo cum prophetas, Ps. XXXIII. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*: et Ps. CII. *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, etc.* Et quia admodum exiguum est, quod per nos possumus, conemur supplere per amicos, et accersamus angelicos spiritus, cælestia corpora, sublunaria omnia et universam creaturam animatam et inanimem, ut nobiscum et pro nobis Deo de infinita ipsius in nos misericordia gratias agat, eumque laudet et benedicat. Sic faciebat David variis in ps. uti Ps. CXLVIII. *Laudate Dominum de cælis, etc.* et socii Danielis in fornace Babylonica: *Benedicite omnia opera Domini Domino, etc.* Sunt enim creaturæ, quasi voces quædam, Dei bonitatem, sapientiam, potentiam, prædicantes, suaque pulchritudine, varietate, multitudine, virtutibus creaturam rationalem ad Dei laudem incitant. Ad hæc quia Dei in nos beneficia capere omnimode non possumus, ea saltem admiremur et quasi attoniti paveamus. Sic regina Saba cum non posset capere sapientiam Salomonis, obstupuit præ admiratione, ut mente excessisse videretur, III. Reg. II. ita et Tobias audiens ductorem suum non esse hominem, sed angelum, stupore attonitus cecidit in terram super faciem suam. Quando ergo et nos audimus, ducem, acceptorem, et redemptorem nostrum in terris fuisse, non regem, non angelum, sed Deum, annon obstupescere et mente excedere deberemus? Isaac audiens vocem Jacob sub pilosa specie Esau, admirans dicebat: *Tu es filius meus Esau?* Gen. XXVII. Cumque postea didicisset, revera fuisse Jacobum sub vestitu Esau, a se benedictum: *Expavit*

stupore vehementi (Septuaginta habent, *raptus est in extasin*) et ultra quam dici potest admirans, dicebat: *Quis igitur ille est, etc.* Talis autem Christus fuit, Deus inquam, sub specie hominis, impassibilis sub specie passibili, immortalis sub mortali, innocens et impollutus sub specie peccatoris, ut ostendit S. Bern. ser. XXVIII. in Cant. *Quis hic non expavescat, non obstupescat et extra se rapiatur? Quis non corruiat in faciem? Hicne est Deus pro nobis in crucem actus et pro maledicto habitus? Hicne est ille formosus, in quem desiderant angeli prospicere, nostri causa adeo deformatus ac veluti leprosus factus, etc.*

Denique, quia Christus omnia bona jam possidet, gratulemur ei toto corde et gaudeamus de ejus gloria non minus, imo magis quam si nostra foret. Gratulemur ei ob victoriam obtentam de diabolo, peccato, morte, mundo, perfidis Judæis. Gratulemur ei ob gloriosam resurrectionem, triumphalem ascensionem, sessionem ad Patris dexteram, plenariam et judicariam potestatem in cælo et terra. Exaltemus eum in cælum votis nostris velut manibus juxta Psalm. *Exaltabo te Domine*: item: *Exaltate Domine in virtute tua, etc.* Comitemur eum hodie nostris cogitationibus et affectibus usque ad cælum empyreum, cum jubilatione et voce tubæ. Gaudeamus et magnificemur eum, cum hoc tempore videmus Ecclesiam dilatari partim in nostris partibus, dum hæreses extirpantur: partim in orbe novo, dum idololatria pellitur. Dicamus alter alteri, quod primævi illi Christiani dicebant Paulo, Act. XXI. *Vides, frater, quot milia sunt in Judæis (hæreticis, gentilibus) qui crediderunt, et omnes æmulatores sunt legis?* Ita fiet ut eundem laudare in perpetuum possimus in cælis.

CONCIO IX.

MIRACULA CREDENTIUM QUA RATIONE SPIRITUALITER EDENDA.

I. Dæmonia qui ejiciant. — II. Linguis novis qui loquantur. — III. Serpentes qui tollant. — IV. Mortiferum sine noxa qui bibant. — V. Ægro qui sanent.

THEMA.

Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, etc. Marci ult.

Cum magnus ille propheta Elias curru igneo raptus discederet ab Elisæo discipulo suo, et contristatus inde Elisæus clamaret: *Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus*, reliquit ei in terra pallium suum, cujus magna sane virtus erat. Eo namque indutus Elisæus duplicem

Eliæ spiritum consecutus est, eoque mox percussus aquas Jordanis divisit in duas partes, ut sicco vestigio transire posset, IV. Reg. II. Simile quiddam, auditores, hodierno die gestum est. Elias, *Deus Dominus* exponitur, et quem alium designat, nisi Christum, cui dicebat Thomas: *Dominus meus et Deus meus?* Iste currus et auriga Israel, verius longe fuit, quam Elias ille; hic enim velut currus suscepit in se; et portavit totius mundi scelera; velut auriga dixit ac direxit ad salutis viam verbo et exemplo populum Israeliticum, imo mundum totum. Cæterum is hodierno die assumptus est in cælum, ablatu e discipulis suis haud dubie non modico ipsorum cum mœrore. Verum ne ipsos omnino destitueret, reliquit is virtutem miracula patrædi, quasi mirificum quoddam pallium. *In nomine meo dæmonia ejiciunt, etc.* quod discipulis imprimis, deinde cæteris fidelibus dictum esse colligitur ex textu. Et quidem Christi discipuli innumera fecere miracula virtute hujus pallii. Sed ubi, dicit aliquis, hæc mira nos patramus? Ubi dæmonia ejicimus? Ubi ægros sanamus? Ubi serpentes tollimus, etc.? Respondet ad hoc S. Gregorius, hom. in hodiernum evangelium quæ est XXIX. *Hæc (signa) necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt, etc.* deinde: *Sancta Ecclesia quotidie spiritualiter facit, quod tunc per apostolos corporaliter faciebat, etc.* Similiter S. Bernardus, in serm. de ascens. qui per virtutum merita fieri ea signa asserit, esseque certiora et securiora, quam sint vera miracula. Certiora sunt quia sanctum faciunt, non ostendunt; securiora quia vanæ gloriæ minus obnoxia. Ergo, auditores, hoc Eliæ nostri pallium unicuique nostrum relictum est, cujus vi et efficacia facere miracula possumus. Qualia vero hæc miracula sint, audiamus.

I. *Sine dubio dæmonia ejiciuntur*, inquit S. Bern. loco cit. *cum eradicantur e corde peccata.* Adstipulatur ei S. Chrysost. in hunc Marci locum, inquiens: *Magnus dæmon peccatum est; quod si a te abjeceris, majus (mihi crede) fecisti opus, quam si dæmonia ejiceres.* Qui sanctus recte appellat magnum dæmonem, quia dæmon corpus tantum vexat, peccatum vero perdit animam et corpus, adeoque totum hominem. Unde melius foret vexari ab integra legione dæmonum, quam uno peccato pollui. Quemadmodum ergo pirata ille Dionides Alexandrum Magnum vocavit magnum prædonem, quod magna classe integra regna et nationes depopularetur et spoliaret; se vero parvum prædonem asserens, quod unica navicula prædam quæreret: (apud Phit. in Alex.) ita peccatum magnum dæmon jure vocari debet, cujus respectu dæmon ipse parvus est, quia hic in corpus tantum grassari

potest, illud animam occupans deprædatur, et in cælum usque grassatur ac Deo ipsam spoliatur. Quodque amplius est, facilius ab homine dæmon ejicitur, quam peccatum. Hic enim exorcismis et precibus Ecclesiæ pelli potest, olimque ab exorcistis passim expulsus est; illud vero multis sæpe machinis, precibus et minus eximi non potest, præsertim ubi longa assuetudine altas in homine radices egit. Hinc de avaro, cum forte Ecclesiæ aut pauperi eleemosynam donavit; de ebrioso, si aliquando e convivio tempestive surrexit et sobrius domum rediit; de pigro et inerte, si aliquando primus in templo visus est, dicendum quod miraculum patravit. Hæc sunt miracula illa omnium saluberrima, quale edidit apostolus cum ex Saulo factus Paulus, Christum prædicavit, quem prius persecutus fuit: *Stupebant enim omnes*, inquit S. Lucas, Act. IX. *qui eum audiebant et dicebant: Nonne hic est qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant nomen istud, et huc ad hoc venit ut vincos illos duceret ad principes sacerdotum?* Talia edidit in communi primi Christiani, cum ab ethnicismo conversi toti alii et novi homines facti sunt, cum dominarentur suis cupiditatibus, qui prius serviebant illis, adeoque angeli quodammodo facti sunt ex dæmonibus; quod videntes ethnici pro miraculo habuerunt, uti testatur S. Petrus, in epist. I. cap. IV. scribens: *Admirantur (Græce, peregrinantur, q. d. putant se gentiles in peregrina terra et novo mundo esse) non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confessionem, hoc est, in lasciviam, concupiscentiæ desideria, temulentiam, comotationes, etc. uti supra recensuit.*

II. «Linguis loquuntur novis, inquit, S. Bern. serm. cit. cum jam recedunt vetera de ore eorum, nec de cætero vetusta protoparentum lingua loquuntur, declinantium in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.» Secundum S. Gregorium, homilia dicta: «Qui jam vitæ veteris sæcularia verba derelinquunt, sancta autem mysteria insonant, conditoris sui laudem et potentiam, quantum prævalent narrant.» Testatur S. Jacobus, c. III. difficillimum esse domare linguam; feroces bestias domari, linguam fere a nullo domari. Ergo qui exclusa vetusta seu veteris vitæ lingua, loquitur nova, profecto magnum edet miraculum. Quæ autem est lingua vetusta, nisi quam introduxit serpens in paradysum? Talis lingua erat curiosa illa serpentis loquacitas: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi?* Nova lingua foret cohibere linguam, præsertim in conviviis et conventibus profanis, ubi quasi ex condito linguæ fræna laxantur, proximorum fama roditur, et puditissima quæque sine pudore effu-

tiuntur. Cujusmodi exemplum dedit Zeno Zitticus, qui a Ptolomæi regis invitatus ad convivium inter alios sapientes multa garrientes, tacuit semper. Rogatus ab eis quid de se dici regi vellet, respondit: *Dicite vos vidisse senem, qui in convivio jacere noverit*, Laert. l. VII. c. 4. Discant Christiani ab homine gentili. Vetusta lingua est sermo mendax. Quæ etiam serpens docuit cum dixit: *Nequaquam moriemini, scit enim Deus, etc.* Nova et mira lingua foret, si quis nullum unquam mendacium diceret, quo in facto celebratur Job sub veteri lege; ait enim, c. XXIV. *Quis me potest arguere esse mentitum?* Theonas abbas, qui innumera bilium pene monachorum regimen gerebat, et Joannes Chrysost. Anuph et Benus abbates sub nova; plures non memini me legisse quibus laus hæc tribuatur. Fuge ergo mendacium, et signum magnum facis. Vetusta lingua est, lingua murmuris, cum dixit serpens: *Cur præcepit vobis Deus, etc.* Lingua nova esset, si cum res nobis sinistre succedunt, non murmurarem, sed Deo gratias cum Job ageremus; si in medio flammæ enim tribus pueris hymnum Deo diceremus. Sed o quam pauci norunt hanc linguam! Vetusta lingua est, lingua excusationis, cum Adam in Evam et Deum, et Eva in serpentem culpam rejecit. Nova et mira lingua foret, si in confessione peccata gravia non palliarem, sed larvam eis detraherem et in sua nuditate ac feditate ea confessario ostenderem. Sed o quam difficilis lingua! Vetusta lingua est, profana et sæcularis, qua de rebus fluxis et inanibus, uti Eva cum serpente, de ciborum et vinorum cupiditate, de scientia et honoribus discurrebat. Nova lingua foret et miraculosa prorsus, si quando Christiani nostri in conviviis, in mensa, in conventibus non de rebus profanis, negotiis domesticis, alienis curis et censuris, novis sæcularibus, etc. sed de salute animæ, de rebus fidei, de doctrina christiana, de concionum fructu cum sociis, cum domesticis, cum liberis colloquerentur. Sed nemo est qui eructet manna; omnes eructant cæpas et alia uti illi Num. XI. Qui divina et salutaria ad colloquium afferre conatur, ridetur vel facessere jubetur quasi importuna narrans. Signum igitur facit et peregrina loquetur lingua, cui nemo respondebit facile, quia pia tunc loquetur. Vetusta denique lingua blasphemiam est, quam docuit serpens antiquus, cum dixit: *Nequaquam moriemini, scit enim Deus, etc.*, volens per hoc, ut advertit Rupertus ibi, mendacem et invidium facere Deum, quasi falsum dixisset, et invideret hominibus gloriam suam. Nova lingua foret, si quis audiretur, e plebe præsertim, dum loqui, et nunquam interim jurare vel blasphemare. Videtur enim hoc tempore diabolus pervertisse linguas hominum, ut vix tria verba

loqui possint aliqui, nisi aut juramenta, aut execrationes, aut blasphemias addant.

III. *Serpentes tollent, cum venenatas suggestiones extinguent*, inquit Bern. ser. cit. Cogitationes malæ instar serpentum flexuoso et fraudulento incessu insinuant se in animos hominum, ac nisi eas mox abstuleris, venenum effundent delectationis, quo sensim animum percurrentes, mortem animæ, cum scilicet ad cor venerint per consensum, afferent. Harum progressus et fraus describi videtur Ezech. VIII. ubi fodiens parietem propheta et inspiciens templum, vidit similitudines reptilium et idola depicta in pariete. Secundo, inspiciens vidit ibi mulieres sedentes et plangentes Adonidem. Tertio, inspiciens vidit ibi viros vertentes dorsa contra templum, et addit: *Numquid leve est hoc domui, Juda, ut facerent abominationes istas?* Putant sane multi leve quid imo nullum esse peccatum, cogitationes malas, nisi in externam operationem prodeant, sed graviter decipiuntur; siquidem tota malitia peccati externi ab interno emanat. Leves quidem sunt initio, cum primo eas intellectus intuetur, post ubi sedere et delectari in illis cœperit, graves fiunt; gravissimæ denique si consensum addiderit, tunc enim dorsum vertere contra Deum incipit. Per suggestionem fiunt imagines fœdæ, per delectationem fiunt mulieres sedentes coram Adonide, per consensum fiunt viri dorsum Deo vertentes. Quare uti serpentes capite apprehendi solent, ita et cogitationes initio necandæ. Nam nisi tu mox eas enecueris, necabunt te ipsæ, fietque quod Plinius, l. X cap. LXXIV. de aspide scribit, quæ educata in domo cujusdam, cum neminem læsisset, catulum tamen peperit tandem, qui filium hospitis occidit: vel quod rustico illi qui videns in via serpentem frigore concretum, eum sustulit, et in sinu reposuit: mox serpens calefactus et sibi restitutus, rusticum occidit. Sic quondam Alcamenes pirata cepit Caium Cæsarem et suspensum ei minabatur jocando; sed dimisso Cæsare, postea ipse ab eo captus et suspensus est, ubi vehementer doluit idcirco tantum, quod suspensus non suum, cum potuisset non suspenderit. *Beatus igitur qui tenebit et allidet parvulos tuos* (suggestiones tuas malas, o Babylon) *ad petram*, Ps. CXXXVI. Difficile vero id est et doctissimis sæpe negotium facessit, teste D. Greg. I. IV. moral. qui ait: *Facile est perversa opera vitare, sed nimis difficile est ab illicita cogitatione mentem corrigere*. Quemadmodum enim nodus qui in tenui filo holoserico sit, difficiliter solvitur, quam qui in filo crasso, ita cogitationum nexus et implicationes difficulter expediuntur. Certe pauci sunt, qui in confessione enumerandas putant cogitationes malas. Verum sicut nodus

etiam in tenuissimo filo deprehenditur, cum id per acum transire debet; ita in iudicii angusta porta, cogitationes illæ deprehenduntur, et in ostium cœli impingunt, hominemque in purgatorio saltem aliquamdiu detinebunt. Quare cavemus nodos istos; excutiamus e corde serpentem, quemadmodum apostolus excussit viperam, quæ manui ejus adhæserat, in ignem sine læsione, uti legimus Actorum XXVIII. secundum D. Gregorium, hom. indicata: *Qui bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt*. Quid enim peccatum in corde peccatoris, nisi serpens in antro suo? Tales ergo, serpentes qui apprehendere studet et eruere e cordibus, profecto rem mirandam faciet. Est enim justificatio impij majus et difficilior opus, quam creatio cœli et terræ, ut vult D. Augustinus et ex eo S. Thomas, I. II. q. CXIII. art. IX. Sed hæc de re infra.

IV. « Si mortiferum quid hiberint, non eis nocebit: quod fit dum pestiferas suasiones audiunt: sed tamen ad operationem pravam minime pertrahuntur, mortiferum quidem est quod bibunt, sed non eis nocebit, » inquit S. Gregorius, in ho. præd. Quod vidit aliquando S. Antonius, mundum scilicet plenum laqueis, hoc sub alia forma vidit ante ipsum S. Joannes, Apoc. XVII. mulierem habentem poculum aureum plenum abominatione et immunditia, e quo hiberunt habitatores terræ. Significat autem mundi illecebras, quibus inescantur plerique mortalium, et laqueos quibus illaqueantur; quales sunt noxia consilia, adulatoria verba, prava sociorum exempla et peccandi incitamenta. Hujusmodi venena qui sapiunt: *Cum gustaverint*, inquit S. Bernardus, ser. 1. cit. *ad exemplum Christi nolent bibere, id est, cum senserint, nolent consentire*. Noluit bibere s. ille Eleazarus, qui suadentibus amicis ut simularet saltem vitæ carnis esum, renuit ne juniores scandalo perderet, II. Macch. VI. noluit S. Job, propinante venenum uxore, ut malediceret Deo (id enim sonat ibi vox benedictæ.) Unde Septuaginta interpretes plura ejus verba recensent, nimirum: « Quousque perseverabis dicens: Ecce modicum adhuc tempus operior expectans salutis meæ spem? Ecce nunc tui memoria e terra evanuit, filii scilicet et filiæ, uteri mei partus labores, quos cum doloribus frustra enixa sum. Tu vero ipse in vermium putredine sedes, sub dio pernoctans, et ego errabunda et famulabunda, locum ex loco et domum ex domo circumeo expectans, quando sol occasurus sit, ut requiescam a laboribus et ærumnis, quæ te nunc detinent. Sed dic verbum in Dominum et morere. » Sed quid Job ad hoc poculum? *Quasi una de stultis mulieribus locuta es, etc.* Job. II. Noluit S. Satorus, qui cum

esset Ariani regis domus procurator, et ut a catholica fide deficeret ad Arianos, invitaretur promissis honoribus et divitiis, minis insuper adjectis, quod distractis mancipiis et filiis, uxor ejus ipso præsentem danda esset camerario in conjugium, et ob id uxor multis eum precaretur gemitibus ut assentiretur iniquo postulato dicens: *Cognoscit Deus quia invitatus facturus es hoc, quod forte voluntarii aliquanti fecerunt, respondit voce Sancti Job: Tamquam una ex insipientibus mulieribus loqueris. Formidarem, mulier, si sola esset hujus vitæ amara dulcedo, artificio conjux diaboli ministraris. Si diligeres maritum nunquam ad secundam mortem attraheres proprium virum. Distrahant filios, separent uxorem, auferant substantiam mei domini, ego securus de promissis verba tenebo: Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros, aut domum, meus non poterit esse discipulus. Quid ultra? Discedente muliere cum filiis reputata, confortatur Satorus ad coronam, discutitur, expoliatur, pœnis conteritur, mendicus dimittitur. Ita Victor Uticensis, l. 1. de perfect. Wandal. Pari animi fortitudine repudiavit uxoris consilium imprudens Thomas Morus, sollicitantis ut subscriberet iniquo Henrici regis decreto, ut alibi vidimus. Idem ad supplicium jam pergens filie suæ unicæ lenocinante instanti ut voluntati regis subscriberet, respondit: *Recede Eva; sicine, cui constantiam gratulari debueras, hunc ab officio christiani ratione demovere tantas? Recede, tamquam una de stultis mulieribus locuta es*. Non videtur omittendus Fridericus III. imp. qui suadentibus sibi consiliariis malis, sicut Ladislaum Hungariæ et Bohemiæ regem, quem adhuc puerum educabat, sanguine sibi junctum perderet, utpote cujus mors plurima sibi regna et opes allatura esset, respondit: *Qui sit, quod me divitem potius quam piæ erga meos esse cupitis? Ego sane divitias non ita amo ut impiis consiliis persuasus propter eas indignum facinus perpetrare velim*, refert Aneas Sylvius, l. III. comment. de rebus gestis Alphonsi.*

V. Super ægros manus imponent et bene habebunt: « Qui, ut S. Gregorius, supra cit. ait, quoties proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt, dum eis tota virtute succurrunt et exemplo suæ operationis illorum vitam roborant, qui in propria actione titubant. » Quisquis ergo spirituale aliquod misericordiæ opus proximo impendit, ut qui peccantem fratrem corrigit, ignorantes docet, infirmum bono suo exemplo roborat et confirmat, dubitanti recte consultit, pro salute proximi orat, mœstos consolatur et deprecantibus remittit offensas; quisquis inquam, horum aliquid præstat, manum super ægrum imponit et salutem ei impertit, magno et saluberrimo miraculo. Miraculo inquam, quia raro. Quotusquisque enim est, qui ad spirituales

proximorum infirmitates attendit? Prope hominem illum, qui sauciatus fuit a latronibus, transierunt sacerdos et levita, sed opem non tulerunt; solus Samaritanus accessit et curam ei impendit. Citius reperias qui jumentum in via colapsum erigere conentur, quam qui hominem in peccati cœno mersum. Unde exclamat S. Bernardus, l. IV. de considerat. *Heu cadit asina et est qui subleget eam: perit anima et nemo est qui reputet.* Barbarum et immane genus hominum sunt nautæ, de his tamen scribit S. Chrysostomus, hom. de hab. cura sal. prox. «Nautæ licet navis secundo vento feratur, cum tamen vident alios vel a longe naufragium facere, non ad propriam spectantes utilitatem, illorum contemnunt calamitatem: sed sistunt navem, detrahunt vela, eieciunt anchoram, proferunt funes, projiciunt tabulas, ut ille qui a fluctibus mergitur, forte aliquo illorum arrepto emergat. Imitare et tu nautas, cum videris navigantium aliquem natere in fluctibus, et jam submergi, relictis negotiis tuis statim illius provide salutem. » Quin et bestię hoc docent, etenim elephante uno in foveam lapsa, cæteri ramos in eam deieciunt et aggeres devolvunt, ut sic, complanata nonnihil fovea lapsus emergat, teste Plinio, l. VIII. c. VIII. Scaurus etiam piscis cum in nasam incidit, ab iis scauris foris adnatantibus eripitur; nam vel ipse illorum caudas mordicus apprehendit, vel per caudam ab illis apprehenditur, ut scribit Ælianus, l. 1. cap. V. Norunt ergo bruta opem ferre comparibus in periculo constitutis, et non norit homo?

Porro manus, quam ægris secundum animam imponere jubemur, multiplex est: oratio imprimis, deinde charitas, qua ad omnes nos dimittere et omnibus omnia fieri debemus, rursus mansuetudo qua in spiritu lenitatis corrigere errantes, ad hæc prudentia qua etiam minas, increpationes et plagas adhibere, vel laudando, promittendo, benefaciendo, prout quisque efficacius trahitur, invitare. Sic Joseph patriarcha fratres nondum peccatum suum agnoscentes, graviter primo objurgavit, quo recordarentur sceleris in fratrem patrati, dicebantque: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, etc.* Postea ubi delictum agnovissent, et sibi a fratre metuebant, mæstos consolatus est dicens: *Nolite pavere, neque vobis horum esse videatur quod vendidistis me, etc.* Deinde muneribus ac blanditiis delictos domum remisit, Gen. XLV. Itaque instar illius Samaritani primo, vinum nonnihil mordens; deinde, oleum leniens in vulnera eorum infudit. Jam quid oratio pro peccatoribus fusa possit, audiamus, in vita S. Catharinæ Sennensis per Raimundum Capuanum, edita apud Sur. 29. apr.

legitur sequens historia. « Quodam tempore apud Senas duo insigniter flagitiosi latrones capti et atrocissimis suppliciis addicti propter facinorum immanitatem, jam ducebantur ad mortem, et curribus impositi ignitis fusciniis discerpebantur. Nemo illos ulla ratione potuit inducere, ut facerent suorum peccatorum confessionem, imo vero blasphemias voces in sanctos et Deum palam jactabant. Eo autem tempore erat sancta virgo Catharina Sennensis apud Alexiam sociam et discipulam suam, cujus ædes præteribant miserissimi illi. Ubi autem id sensit Alexia, celeriter indicat sanctæ virgini; illa se totam confert ad deprecandam clementiam Salvatoris pro salute desperatorum, cum vidisset per fenestram ingentem dæmonum turbam illos misere exagitantium. Impetrat a Domino, ut possit spiritu se illis adjungere, et cum eis ad portam usque proficisci. Ut autem eam viderent dæmones apud illos, palam clamabant: Si non cessaveris, te dæmoniacam efficiemus. Illa contemnens minas procaces perstitit in precibus. Ubi ad portam urbis ventum est, ecce clementissimus Salvator apparet illis obstinatis, totus vulneribus confectus, et sanguine madidus, invitat ad pœnitentiam, promittit veniam. Illi mox mutati, cum multa instantia petunt sacerdotem, peccata sua valde dolenter confitentur: facta confessione, blasphemias mutantur in laudes Dei, dignos se etiam majoribus tormentis fatentur, stupent omnes repentinam conversionem, carnifices quoque mitescunt, nec audent nova imprimere stigmata, dum vident tantam animorum devotionem. Denique, illi ad mortem non secus atque ad epulas festinant, spe bona freti, se per supplicia temporanea citius venturos ad gaudia sempiterna. »

Quare, auditores, ne terreamur, si nos Christianos signa ea, quæ a Salvatore dicta sunt secundum litteram intellecta, non sequuntur; siquidem ea: *Non tam merita quam indicia meritum sunt*, ut ait S. Bernardus sæpe, scilicet loco, sufficiat nobis si hæc signa secundum spiritum patremus. « Nam corporalia illa miracula, inquit S. Gregorius, hom. supracit. ostendunt aliquando sanctitatem, non faciunt. Hæc vero spiritualia quæ aguntur in mente, virtutem vitæ non ostendunt, sed faciunt. Illa habere et mali possunt, istis autem perfrui nisi boni non possunt. Nolite ergo, fratres charissimi, amare signa, quæ possunt cum reprobis haberi communia, sed hæc quæ modo diximus, charitatis atque pietatis miracula amate, quæ tanto securiora sunt, quanto et occulta; et de quibus apud Dominum eo major fiet retributio, quo apud homines minor est gloria.

CONCIO X.

DOCUMENTA.

- I. Christus suis passim adest. — II. Redarguendi qui non credunt. — III. Præmium incredulitatis, damnatio. — IV. Fides Christi toti mundo prædicanda. — V. Ad suadendam fidem requiritur. — VI. Felix virtutis clausula.

THEMA.

Prædicate evangelium omni creaturæ. Marc. XVI.

Solent boni filii ultima parentum monita memoriæ bene imprimere et studiose exequi. Hodie charissimi, delectissimus pater noster Christus, in cœlos jam abiturus, magnum et speciale monitum nobis commendavit, imo præceptum dedit, uti verbum Dei ipsiusque evangelium omnes audiremus. Et quando hoc præcepit, nisi quando dixit apostolis suis: *Prædicate evangelium omni creaturæ?* Si enim jussit evangelium suum omnibus prædicari, consequenter etiam jussit ab omnibus audiri. Neque enim voluit aut jubere potuit ut parietibus, et sedilibus, vel etiam creaturis irrationalibus apostoli prædicarent. Hominibus prædicare jussit et quidem universis ejuscumque status et conditionis. Ergo nisi hujus paterni et ultimi præcepti prævaricatores esse velimus, demus operam, auditores, ut Christi evangelio aures non claudamus. Quare ad honorem sanctissimi hujus festi expendamus hodiernum evangelium, et quæ in eo documenta sunt, avide audiamus.

I. Discimus, secure et caute vivere, secure in tribulatione, caute in tentatione. Videmus enim Christum passim variis locis et temporibus apparuisse suis discipulis, et cum aliud agentes de eo nihil cogitabant, jam peregrinantibus, jam consedentibus, jam piscantibus, jam discumbentibus; rursus modo summo mane, uti ad sepulcrum et littus maris, modo in meridie, uti in hodierno evangelio, modo vespere et sero, uti Joan. XX. quando ad discipulos clausis foribus intravit. Ut ita intelligamur nunquam non adesse nobis, non quidem per humanitatis suæ præsentiam (ut volunt Ubiquistæ) sed per providentiam et inspectionem, sive bene, sive male agamus. Quare si in tribulatione simus, illico nobis aderit; si peccemus, aderit, ita ut in illo casu nunquam desolati, in hoc nunquam tuti simus. Si advertat servus dominum sibi passim a tergo adesse cum se maxime securum reputat, nonne semper timet et cautius se gerit? Abraham quando immolaturus filium audivit angelum dehortantem se a proposito, vocavit montem illum: *Dominus videt*, quin et posterius hoc nomen retinuerunt dicentes: *In monte Dominus videbit*, Gen. XXII. Cum ergo sciamus nos

nullo non in loco videri a Christo Domino, omni loco dicamus: En sumus in loco, cui nomen, *Dominus videt*. Ergo si quid mali machinemur: *Dominus videbit*, si quid vicissim boni: *Dominus videbit*.

II. Discimus, quam merito reprehendendi sint, qui post gravia fidei argumenta adhuc in ea vacillant, dubitant, tergiversantur, errant. Audimus enim in evangelio Dominum objurgasse illos, qui tot testimoniis resurrectionem Christi probantibus non credidissent. Idemque fecit duobus discipulis euntibus in Emmaus, cum eos *stultos et tardos corde dixit*. Nec immerito sane, tum quia fides est fundamentum totius ædificii spiritualis, quo nutante omnia vacillant: tum quia gravis error erat, post prædicationem Christi, qua toties et tam clare intellexerant eum gentibus tradendum, conspuendum, flagellandum, crucifigendum, et tertio die resurrectionem, insuper experti erant, rei eventum cætera comprobasse, soli ejus resurrectioni fidem non adhibere, neque etiam testibus oculatis et omni exceptione majoribus. Viderint igitur moderni hæretici, quantopere objurgandi sint a Christo, suo tempore, ut qui post fidei catholice tanta argumenta, et perfidiæ suæ indicia, post triumphatas hæreses, necdum volunt credere. Sane si adhuc miracula a nobis requirunt, merito audiunt illud S. Augustini, lib. XXII. de civit. cap. VIII. dicentis: *Quisquis adhuc protigia, ut credat, inquit: magnum ipse est prodigium, qui mundo credente non credit.* Quam ergo Christus in judicio exprobrabit istis incredulitatem et duritiam cordis? Dicit enim: Qua ratione, vos in animum inducere potuistis, eam esse veram Christi religionem, quæ Deum auctorem et impulsorem omnium scelerum statuit? Quæ hominibus liberum arbitrium adimit? Quæ studium bonorum operum tollit? Quæ portam latissimam omnibus sceleribus non minus quam atheismus aperit? Quæ subditos legibus et obedientiæ principum sub specie libertatis christianæ eximit? Quæ antiquas et damnatas hæreses ab orco revocat? Cujus auctores nulla vitæ austeritate, nulla morum sanctimonia commendati, nullis miraculis clari; sed homines erant voluptatibus carnis addicti, terrenarum rerum cupidi, ambitiosi, maledici, seditiosi, apostasia, et sacrilegis nuptiis, vel præpostera libidine infames, inconstantia doctrinæ incredibili?

III. Discimus præmium incredulitatis, condemnationem: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Idem supplicium incredulis minatur Deus, Psalm. XCIV. (uti vertit et exponit apostolus ad Hæbr. III. cum ait: *Probaverunt, et viderunt opera mea quadraginta annis: propter quod insensus fui generationi huic et dixi: Semper hi errant corde;*